



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Conciones siue Conceptvs Theologici Ac Prædicabiles R.
D. Petro Bessæi SS Theol. Doct. Reg. Galliar. Oratoris**

In Omnes Totivs Anni Dominicas Æstiuas, à Festo Pentecostes vsque ad
Aduentum

Besse, Pierre de

Coloniae Agrippinae, Anno M.DC.XXIX

Dominica Qvarta Post Pentecosten.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56259)

DOMINICA QVARTA
POST PENTECOSTEN.

Partitio.

- I. De vi verbi Dei flexanima.
 II. De piscum & hominum comparatione.
 III. Cur in piscibus Dominus miraculum ostenderit?
 IV. De nocturna piscatione, deq; Nihilo.
 V. De Piscatoribus.
 VI. De usu. Duc in altum.

Duc in altum, & laxate reti & vestra in capteuram. Luc. 5.

FIGVRA.

Tob. 5.

Tobias junior cum Angeli iussu se in flumen immisisset, ingentem piscem ad litus attraxit multorum deinde miraculorum operatorem: huius enim jecur dæmonium profligavit, ac deinde matrimonij vinculum solidavit & secundavit, quia & seniori Tobias oculorum usum reddidit. Longo dignitatem hodie excellentioremque in Evangelio piscationem videre est. Siquidem ipse Apostolorum princeps Petrus magnus ille animatum piscator, magni consilij Angeli, id est, Christi, iussu, laxans retia in capturam tantam piscium multitudinem concludit, ut rete distemperetur, & omnes ad insolitum rei spectaculum obstupescerent. quo de hac hora pluribus acturus sum. At quoniam mare conscendendum est, spiritum Paraclitum obsecremus, cuius nostrum vento gratia suæ ut dirigat, & Deiparam Virginem ut Cynosura & Helices inflat, affulgeat: ideoq; salutationem Angelicam offeramus, dicendo:

AVE MARIA.

- I. Propheticus ille Rex David, vir secundum cor Dei, cui pacem mundus vix tulit, tanta in audiendo Dei verbo, eloquiisque ditius dulcedine perfundebatur, ut non tam mel & Ambrosia palato, quam illa auribus grata forent; hinc gaudio exultans & dulcedine inebriatus, dicebat interdum: *Quam dulcia faucibus mei, eloquia tua! super mel & favum ori meo.* Caterum merito delicias illas, quas ex divini verbi auditu promanantes anima piorum percipiunt in immensum exultantur quippe.

Mal. 11. 8.

voluptatis ac dulcedinis ipsum complectitur ac spirat, ut etiam sensus omnis expertia ad se trahat & alliciat, rupes & marmora emolliat, muros ahencos perfingat, nullumque adeo durum & saxum reperiri cor queat, quod non, si aliqua ratione ipsum feriat & tangat, fleat & penetret.

Eloquentiam & flexanimem suadelam depradicans Sapiens, hisce verbis usus est: *Tibia & Psalterium faciunt melodiam, sed super Eccl. 40. utraq; lingua suavis.* In omni genere eloquentia locum hoc habet, Auditores, at potissimum in diuina, quæ suavis ille accentus est concionatorum, & sacra Evangelij buccinæ quæ ad linguæ vocem accentumque temperata maiori auditorum voluptate perfundit, quam omnia musica, quæ in mundo haberi queant instrumenta. Huc accedit, quod ipsum Dei verbum, quod eorum ab ore fluit, virtus quædam supernaturalis sit, & tacita vis & tyrannis, quam Deus in hujusmodi concionatorum lingua sitam esse voluit, quæ auditorum animos omnem in partem traheret, raperet, & inuitos etiam cogeret, quæque maiori potentia polleat, quam omnis armata & ferata vis.

Ceterum egregio hieroglyphico veteres, Eloquentie symbolum - *Valer. lib. 33. hieroglyph.* auctore quidem Luciano, & relatore Valentino, eloquentiam expressere: illius enim vim & potentiam in hominum animos volentes exprimitere, Herculem pinxere, leoninis indutum exuijs, dextra clauam, sinistra arcum, & sagittas (quibus ille armis monstra domabat, feras conficiebat, centauros necabat) gestantem ac plures ab eius ore catenas egredientes, quibus insuam hominum multitudinem comprehendebat & stringebat, catena vniuscuiusq; auribus inserta. Quod egregio emblemate designavit Alcibiades:

arcum lana tenet, rigidam ferri dextra clauam,

Contegit & Nemeos corpora nuda leos.

Nihil porro aliud omnibus his denotare conabantur, quam Herculem non tam neruorum fortitudine & armorum robore, quam eloquentia, sæculi sui homines, per agros instar ferarum palantes & vagabundas, & benigniorem melioremque vitæ rationem rehera barbarie, traduxisse. Atq; hinc officio, si humana eloquentia & suadela hominum tan-

im potuerit: quantum credendum sit, diuinam posse; & sane si verba deferta & cordata Herculis, barbaros ad mores humanos & ciuiles suscipiendos permouerint, & bestias perdomuerint: quid non factura est vis & potentia verbi diuini? an non homines ratione præditos ad vitam meliorem transferet? an non cor simul & animam ad se, quamcumque in partem, trahet?

*Lib. 6. de vit.
Philos.*

Diogenes, referente Laertio, Antisthenem Philosophum dum assidue audiret, tanto opere lectionibus illius delectabatur, & eloquentia rapiebatur, vt, quamuis eum præceptor ludo exigeret, & fustigationem si denuo rediret, comminaretur: pedibus illius aduolutus magno feruore diceret: *Cado, non enim ut durum baculū reperies, qui me abs te, quamdiu aliquid dixeris, quod discam, arceret possit.* Et hoc Cynicus, at si tanto tu Christiane, erga diuinam zelo & ardore flagres, quanto Philosophus ille erga sapientiam humanam, nihil te a verbi diuini auditu auerteret.

3. Reg. 10.

Tanta Salomonis Regis eloquentia fuisse scribitur, vt omnes in admirationem raperet, & reginam Sabæam, ac plurimos Magnates ab ultimis Æthiopiæ finibus exciuerit, qui illius sapientiam audirent. Ierosolymam confluebant. Porro si tanta humanæ sapientiæ & Philosophiæ, quæ intermori potest, vis est ac potentia, vt exteros & longo locorum intervallo diffitos ad audiendum excitaret: quantum robur sancta Dei viuentis & mori nescij, æterni, regis cæli & terræ eloquia, habebunt in animis Christianorum & fidelium? an non illos quo lubuerit rapiant? an non ab omnibus sæculi negotiis auertere, eorumque odium ingerere poterunt, vt ipsam audiendis eo melius vacare queant, & auditis delectari? Quæ qui libenter & magno cum gultu audierit, nã ille in electorum se numero collocabit.

*H. m. 2. in
Par.*

Delectari
verbi Dei
auditu, si-
gnum est
sani animi.

Atque hoc sibi persuadet Chrysostomus, cum ardorem hunc & affectum ad Dei verbum audiendum inter signa prædestinationis & mentis sanæ enumeret, idque hac similitudine: *Quemadmodum esurire bonam corporis & alitum declarat, sic sermones appetere spirituales animæ sanitatem arguit.* Quemadmodum carnati qui pitcem explorare cupit, num re-

cent sit & esui aptus, aures & brachias inspicit: si enim hæc tibeant & recentes sint, laudandus est piscis; at si fæteant & disfluant, obolo non emerem. Scita similitudo. Omnes in hoc inferiori orbe insunt piscium sumus, in vasto mundi huius mari natitantes: si sanitatem bonitatemque nostram explorare volumus, ex auribus id colligendum est: si enim illæ recentes sint, & verbo Dei audiendo delectemur, concionibusque; capimur, signū est, & quidem euidentis, prædestinationis: at si putrescant, & non nisi mundanorum concionibus pateant, certissimum argumentum est, interius fætere nos, & ad nihil valere, nisi vt mittamur foras & concludamur ab hominibus. Comparationi meæ subscribit Scriptura, dicens: *Qui ex Deo est, verbum Dei audit.*

Quam recentes, Deus bone, aures erant Davidis regis, quantaque in audiendo Dei verbo voluptate perfundebatur: nã de se in quodam Psalmo testatur: *Lætabor ego super eloquia,* *Psalm. 118.* *sicut qui inuenit stilia multa.* Quibus verbis Spiritus S. Regis huius ardorem indicatum voluit: & comparationis sensus est hic, vt milites, postquam longa urbem obsidione cinxerunt, si eadem tandem in direptionem ac prædam detur, pretiosissima quæque diripiunt, linum, saccos, & sportas complect, seque nimium quantum onerant: non aliter Domine, cum verbum tuum audire contingit, repleo cor, oculos, aures, & omnes animæ facultates, vt sub spoliis cælestium onere fatiscam.

Egregius profecto feruor. vti nam parem *Simile.* nos in ipsam eloquij auditi præferamus? dic mihi, si ciues alicuius ciuitatis Principis sui odium incurissent, omnesque mortem, ob publicum & commune aliquod flagitium commouissent: & Princeps, ea qua est clementia & benignitate, non satellites aut apparitores, nõ lictores aut tortores, qui illos ad mortem raperent, sed nobiles aliquos, & legatos mitteret, qui reconciliari & amicitiam ciuium ambire velle Principem dicerent, pacem afferrent, delicti veniam sponderent: quanto putatis, gaudio, quanta exultatione, omnes accursuros, vt regias illas reconciliationis & veniæ literas prælegi audirent. Sed euidentius hoc in verbi diuini promulgatione

cernere-

cernere est. Deus siquidem nobis iratus cum esset, nolq; ad mortem & sempiternum supplicium, nisi resipiscamus, condemnati, ipse pro sua misericordia benignitateque legatos nobis destinat, concionatores, inquam, qui pacem nobis denuncient, gloriae sempiternae pignus spondeant & polliceantur; quanto igitur affectu, quo zelo & ardore diuinorum decretorum diplomatumque, promulgationem, in verbi diuini annuntiatione fieri solitam, audire nos æquum est?

Et hæc quidem hactenus in verbi diuini præconium, eo quod hodierni diei Euangelium magnum multitudinis feruore in Christi verbo audiendo ob oculos ponat. Videmus enim tantam hominum turbam Christo, magno illi Ecclesiastæ adhaerisse, verborum doctrinaq; dulcedine insecutam, ut non seiplos modo in vnum præ loci angustia constipati comprimerent, verum & in ipsum concionatorem eruerent inuicti, ut nullum in terra proprium vel satis patetum locum inueniret, in quo concionem haberet; sed mare Galilææ conscendere necesse habuerit, & Petri cymbam in cathedram conuerterit; miraculique dicta confirmans, infinitam hominum multitudinem allegerit, innumerabilem piscium copiam Apostolorum reti concluderit, ita ut dirumperetur, atq; hoc omnibus non mediocrem admirationem pariebat. Euangelij textum depromamus, *Cum turbæ iruerent in Iesum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth.* Ut porro ordine debito in præsentis concione procedamus, primo de mari hoc, piscibus, piscationeq; præfenti sermonem instruemus; ac deinde de piscationibus non nihil agemus. Si vero attentas mihi hic aures præbueritis, non ingrata, credo, palato miracula audituri estis.

II. Quod ad primum igitur spectat, per mare Galilææ siue lacum Genesareth, miserum ac funestum hunc mundum denotari arbitrari; ille siquidem mare est, mille ventis ac turbibus obnoxium, mille fluctibus & vndis commoveri solitum, mutationibus, motibus, vicissitudinibusq; rerum infame; mare, inquam, superbia turgidum, auaritia feruidum, luxuria deniq; spumofum. Hocce Philosophæ dogmate vsus est Ioannes, *Omni quod est in*

mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. dicere vult, Mundus violentus & æstuans Oceanus est, in quo fluctus libidinis, tempestates auaritiæ, & minaces superbiæ aquilones defæuunt. Piscibus vero homines designari gredo, ut nauicula Ecclesiæ, ut sagena sacram scripturam, ut mare mundum; testabitur abunde distichum illud notissimum, in S. Petri nomine compositum:

*Ecclesiæ pro nauerego, mihi climata mundi
Sunt mare scripturæ, retia, piscis homo.*

Et quemadmodum in mari pisces minores a maioribus deuorantur, ita quoque pauciores & miseri ab opulentioribus, & sæculi huius gigantibus: vnde Apostolus, *Nonne dicitis per potestatem opprimunt vos* Et multo apertius Propheta Abacuc, *Et taces deuorante impio infortunio, & factus hominum quasi pisces maris?* Atq; ut pisces maris incola in mari nati & educati, in mari & sale perpetuo victitantes, saltem & saluginem aquarum marinarum nō sentiunt: ita quoq; colinophili, fluctibus & falsis mundi huius aquis immergi assueti, saltem amaritudinem, molestias, angustias, calamitates, miseriaq; illius, qui eorum stupor est, non percipiunt; at mel, fauos, saccharum, delicias, voluptates esse putant omnia.

Itaque quādiu in Ægypto seruitute premebantur, non nisi allia, porrum & capitata cepe comedebant, atq; in ijs summam voluptatem & gustum necitareum situm arbitrabatur, ut & manna eibus ille, Angelorum paratus manibus eum ijs comparatus, nauicam illis ac fastidium pareret; ut vel sola memoria illorum illecti, terram promissionis adire negligenter, & ad Ægyptū alligatorem semper adspirarent. Mirum profecto! quod alijs amarū & cepe & lachrymis excutere solet gulonibus & luteonibus his instar ambrosiæ lapiebat. Idem penitus in mari mundi huius videmus cōringere, circa eos præsertim, qui delicias & voluptates illius conlectantur, illiusque ineptias ambabus vlnis amplectuntur: quicunq; enim mundo seruiunt & obsecundant atque ex ipsius præscripto viuunt, nullo sensu aduersitatum, malorum, miseriarum, molestiarumq; hic occurrere solitarum habito; tantopere vanitatibus illius delectantur

Homines

piscibus

collati.

Iac. i.

Abac. i.

Pisces sal-

uginem

maris non

sentiunt.

Allegoria.

Mundani

non senti-

unt mala,

quæ mun-

dius fouet.

& ca-

& capiuntur; nihil vt voluptatem ijs adferat aut insipido & vitato palato sapiat quod-que ijs desipit & displicet, & quod lachrymas ijs excutit, quod denique nauicam parit, ijs nesciat est & mera ambrosia. Sed vterius.

Pisces filij maris sunt, fluuio- rum domesti- ci & clientes extra quos viuere nesciunt; non aliter etiam homines; nam omnis illorū vita à sacris Baptismi aquis dependet, vt sine illis ne viuere quidem aut respirare queant. Testem aduoco Euangelistam, *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. non potest introire in regnum Dei.* Et figuram è veteris instrumenti de promo pharetra. Nūquam Naaman Syriæ ille purpuratus viuere, aut à lepra mundari potuisset; nisi prodigiosas illas Iordanis aquas intrasset, in quibus sese lauans & sanitatem recuperat, & vitam tuetur. Quod balneum sanctissimi Baptismi lauacrum designat, quo peccatorum lepra auferitur, quoque vitam animis afferre solet.

Dæmones
animas ca-
pere ge-
stiunt.

Psal. 148.
Ecl. 9.

Eph. 6.

Gen. 7.

Ad hæc pisces Oceani incolæ, & Neptuni patasti semper in periculo sunt ne capiantur, quibus piscatores se nulla non hora insidiantur, mille retium, saganarum, hamorum genera adaptant, mille artes & dolos ad irretiendum adhibent. Homi- nib. quoque mundi incolis, in mari mundi huius exspatiantibus, maiora etiam imminet pericula, quibus diaboli nullo non tempore insidias struunt, piscatores illi versutissimi, qui die nocteque explorant, & in occulto latent, varia tendicula, castes & laqueos in eorum perniciem tendentes. Sathan perpetuo per hocce mare volitat, semper nauigat, omnem in partem excubans rete semper & saganam manibus præfert quo incautam animulam concludit, & in castes pertrahat, de quo variis dicitur *Psaltes, Cadent in reticulus eius peccatores.* Et apertius Sapiens, *sicut pisces capiuntur hamo, sic homines in tempore malo.* Ceterum per tempus malum, tempus haud dubie tentationum intelligit, vt & ad Ephesios Paulus, *Accipite armaturam Dei, vt possitis stare in die malo.* Nefarius profecto & subdolis piscator est, vt qui tempore Noe vniuersum propemodum terrarum orbem sub aquis in nassam pertraxerit, deinde in exitu Israhel de Ægypto integros exercitus & Pharaonis turmas tum equestres, tum pe-

destres in mari rubro piscatus sit.

Præterea maiores pisces in mari, minores Afflictio- in fluminibus aquisque dulcioribus viuere solent. nes marium Docemur hic mystice, heroicæ & generosæ aquis col- illas magnorum virorum animas in afflictio- laze. num aduersitatumque Oceano exurgere & eminere; femininas vero & pusillanimes in dulcibus mundi huius riuibus, fluminibusque prosperi- tatum & deliciarum, hæere. An non Elias, Tobias, & Iob, alijque generosa quadam & mascula præditi indole semper in tribulationum lalsugine victitarunt? sed diutius æquo moralitates sectati sumus, historiam protie- quamur.

Domini igitur Petri cymbam, id est, Ec- III. clesiam primitiuam cum subijler, & laxari Cur Domi- retia in capturam præcepisset, tanta piscum nus in pisci. multitudo conclusa est, vt retia frangeren- bus edide- tur, duoque nauigia pisces non caperent, q. rit miracu- sine miraculo profecto non aduenit; quodque la. vt miraculum semper Ecclesia suspexit. at nō sine ratione & fundamento in piscibus mira- culum hoc patrare voluit. In primis vero vt 1. potentiam & auctoritatem suam declararet, omnibusque testatum faceret, se supremum terræ, marisque Dominum ac Monarcham esse, & omnia ad imperium & nutum suum tremere, & ad iussa capessenda patrata esse. Vnde non immerito ei aptari queat illud *Psal. Omnia subiecisti sub pedibus eius. oues & bo- ues, in super & pecora campum, volucres caeli, & pi- sces maris.* Et vere olim siquidem castra Israe- litarum repleuit coturnicibus, stabulum Beth- leem bestijs, & hodie Petri nassam pisci- bus: è quibus omnibus regale illius imperiū ac suprema in mare, terramque potentia eui- denter demonstrari potest. In huius rei si- gnum visus est in Apocalypsi, *dextrum habens Apoc. 10. pedem super mare, sinistrum autem super terram.* Quod euidenter argumentum est potentia, maiestatisque, & simul aperte demonstrat, il- lum archithalassum esse maris, & terræ Mo- narcham.

Secunda ratio est, quo infinitam bonita- tem & admirabilem prouidentiam testatam faceret, qua æquali prorsus ratione erga om- nes in genere & singulas in specie creaturas afficitur; vt simul etiam aliqua ratione inju- riā, quam tēpore diluuij piscib. intulisse for- sitan

fitan videri posset, illos deserendo resarciret, & hōno beneficio compensaret. Furentibus siquidem diluuij vndis, & aquis in terrā omniumq; animalium perniciem intumescētibus, singularem quandam omnium habuisse quadrupedum, reptilium, & auium curā visus est Deus, atq; vt genus cōseruaret omnes singulorū species in arca Noe voluit asseruari; solos porro pisces visus est negligisse, vndarum eos & maris tempestatiq; futuri committens. At hodie ex diuina prouidentia rem ponderans, & suum vniqueque ius tribuere volens & pisces eadem, qua cetera olim animalia gratia affecerat, cū in arca Noe ab vndis & tempestatibus eadem tutatus est, cumulare gestiens; in Petri eos nauiculam admittit, *Et conclusit piscium multitudinem copiosam.*

3. Tertia ratio, cur circa pisces miraculum Christus hoc edere voluerit, est, vt demonstraret potentiam suam absolutam esse & vnde quaque perfectam, & a nemine dependentem, vt & pisces, quib. nulla animalia libertatis amantiora, & in domabiliora, magisque disciplinae subiectioniq; inimica, ei obsecundarint, & ad nutū paruerint, quamuis n. tempore ferocissima quæq; domentur animalia, & hominum iussis pareant, vt leones, vrsi, tigrides, aliaq; innumera; pisces tamen feritatem suam & bestialitatem nequeunt exuere: tamen si enim hominem vt superiorem agnoscant, cuius vel vmbra metuunt & latebras perunt, vt mancipia viso Domino, nunquam tamen eius parere volunt legibus aut disciplinam aliquam subire, & nullo benevolentia signo permoti bruti manent & iugi impatientes. Ast hodie ad solam Iesu Christi voluntatem creatoris parentes mandato, celeriter adproperant, & ex intimis maris latebris sinibusque profundissimis, Petri retia subeunt. Adeo non sine admiratione de Christo dici queat, *Quis est hic, quia mare & pisces obediunt ei.*

4. Quarta, vt mirabiles iustitiæ distributiæ in Deo nostro paterent effectus, vt qui nihil irremuneratū, nihil indotatum sinat præterire. Nam quoniā D. Petri cymba, loco cathedræ, ad docendas turbas fuerat vsus, mirabili hac piscatione, aliquatenus parem visus est

Tom. 2. Pars Æsiana.

gratiam voluisse referri; quasi hæc ratione damna compensare voluerit, quæ Petro forsitan intulisse videri posset, cymbam illius piscationi destinatā cathedræ vice vsurpando. Similia exempla in veteri testamento videre est.

Vidua Sareptana, quia Eliam Prophetam profugum in domum receperat, & fame cōfectum enutrisset, oleum domi multiplicari & in immensum augeri vidit, vidit & filiū resuscitari. Quæ duo non sine euidēti miraculo peracta sunt. Eius porro discipulus Eliseus, cum ad aliquot dies in Sunamitidos casa hæssisset, sterili filium impetrauit, & eum ipsū deinde mortuum ad vitam reuocauit. Huc referemus quæ in Euangelio dicit Dominus, *Qui vos recipit, me recipit.* An non omnes hæ rationes prægnantes sunt & vestro iudicio, rei quam proposui, peraccommodæ? vobiscum ipsi dispicite, interea ad lineam redibo & coeptam piscationem prosequar, in qua egregij mihi conceptus occurrunt.

In prius igitur hanc mirabilem piscationem in medium producere voluit, vt hæc ratione Apostolos piscaretur, & visa captura vt solet ad animarū eius piscationem attraheret. Solent quippe Deus, quæ immensa eius bonitas, uertendas. non aliam ad alliciendo homines rationem & media adhibere, quam ea ipsa ad quæ eodē viderit propensos & inclinatos. Ita, Chrysostomo teste, Magos, quod Astrologiæ periti essent & cælestium motuum, influxū, Planetarumq; operationum studiosi, stella noua pellexit, Apostolos vero opificio piscatores, numerosa piscium captura in uocatione confirmauit. Ecce & alium conceptum.

Christus prius quam Apostolos ad hanc Conceptus piscationem vocaret, iubet vt à terra non nil recederent, & mari cymbam committerent, *Reducite,* inquit, *a terra pusillum.* Horum occasione verborum aio, quoniam omnes in Ecclesiæ nauicula sumus, naues in terra minime hæere oportere, id est, Christianorum animas rebus terrenis non debere immergi, easdem procul a negotijs curisque mundanis esse segregandas. In primis vero opus est, vt concionatores vita & moribus, & agendi ratione procul à terra & littore, secedant, id est, nihil quod mundum sapiat, sapiant.

sapientiam, ambitionem repudient, auaritiam detestentur, vanam gloriam horreant: verborum illorum cymba terræ non adhærescat, sed in medio & pleno virtutum omnium, sanctitatis, probitatis, bonique exempli Oceano nauiget & euagetur.

Num. 10.

Concionatores tubis collati.

Voluit olim Deus binas parari tubas, quibus populus conuocaretur, quando castra essent mouenda, sed tubas argenteas, ductiles, non vero fusiles. Hæc tubas dixerō concionatores, tubas & buccinas illas Euangelij, ad quarum clangorem peccatores dum vitij bellum indicendum est, conuocentur & excitentur: at argentea sint oportet. nam vt argentum ab omni terrena concretione liberum & purum, coloris viuidi, & soni gratissimi est: ita quoque concionatores puri sint, vitæ immaculatæ & integræ, animæ puritate conspicui, vitæ rumore resonantes & celebres, conuersationisque exemplo laudandi. Ductiles quoque non fusiles, in incude elaboratæ, quod verbi diuini præcones molliem fugere, suauitates detestari par sit, nullis quoque parcere periculis, labores adire, malleos, id est, molestias, pœnas, defatigationesque subire paratissimos. Ecce & alium conceptum non inferiorem.

IV.

Cur de die hæc piscatio facta sit.

Quid nox hic significet.

1.

Mirabilis hæc piscatio non noctu, sed interdiu contingit: Apostoli siquidem cum tota laborassent nocte, sudassentque, operam & oleum perdidere, ne pisciculo quidem concluso. Conquesti enim de labore exhausto, & tamen vano: dicunt, *Tota nocte laborantes, nihil cepimus.* Varia porro per noctem hanc intelligere possumus: in primis legem Moisaicam, quæ obscuritate & tenebris, vmbrique plena fuit. Vnde Apostolus ad Hebræos, *Vmbra habet lex futurorum bonorum.* In hac autem nocte nihil capere licebat, nec gratiam, nec iustificationem, nec peccatorum veniam: ipsæ quoque cæli fores obferatæ erant, & quidquid demum capiebatur, in sola Messia venturi fide capiendum erat. 2. Mundum illum lippientem, cæcutientem, errantem, cuius dies meræ noctes sunt, quique semper in tene-

bis ambulat, iuxta illud: *In tenebris ambulat:* & qui in nubibus & densa mundi caligine laborant, quid quæso piscantur aliud quam laborem, molestias, miserias, anxietates? 3. Ipsum peccatum obscura quadam nox est, idque ex mente Christi, *qui male agit, odit lucem:* hac vero terram animi occupante nihil capere possumus: quamdiu enim in damnationis & peccati statu versamur, quidquid boni operamur, inane est, perit, nec vllus inde redudat fructus aut meritum. 4. Quarto denique terra hæc nox amaram mortis horam etiam designare poterit, nox illa eclipsios, caliginis, tenebrarum: in qua incassum laboramus, ingemiscimus, cruciamur, & diuinam clementiam inuocamus: nihil tunc quippe capere licet, nullus gratiæ erit locus, vita non prolongabitur: nulla indulgentia dabitur, fauor nullus: tunc siquidem tempus iustitiæ, & nox illa plena discriminis, de qua in Euangelio, *Veniet nox, in qua nemo potest ovari.* Piscemur igitur, dum vitæ durant dies, quamdiu gratiæ sol elucet, & quam diu in charitate legis Euangelicæ ambulamus, tunc enim infinita piscium capi solet multitudo, gratiarum inquam, veniæ, & misericordiæ. Sed aliud quid menti occurrit.

Videō egregiam hanc & secundam piscationem in Dei nomine inchoari, & iussu Dei Petrum retia laxare: *In verbo autem,* inquit, *Dei nomine laxabo retia.* Discamus hinc, semper in Dei nomine inchoare, velut ducis, nomine, actiones & opera auspicanda; diuinumque auxilium, ante quam quid exordiamur, inuocandum: simul etiam quidquid in Dei nomine auspicamur, felici inceptum auspicio felicissimum vt plurimum habere exitum: sine quo omnia claudicant, labant, vacillant, in vanum laboramus, nihil capimus, similes piscatoriibus hisce nostris, qui postquam tota nocte laborassent, nihil omnino capere potuerunt, donec tandem in Dei verbo laxatis retibus, innumeram piscium multitudinem concludere.

Audiamus quomodo de se testentur, *Tota Concionante laborantes nihil cepimus.* Eadem professorum inchoato fors est concionatorum, qui dies integros in cathedris ad rauim vique clamitant & vo-

& vociferantur, & vix vnum ad meliorem cōuertunt frugem; quorum figura fuit puer ille Elisæi, qui viduæ filium magna contentione ad vitam reuocare conatus, & quidem frustra, tandem hero lacrymans ait: *Non surrexit puer, non est vox, neq; sensus.* Quenam huic statui rei ratio potest? non alia fortasse, quam quod in Dei verbo retia non laxent, sed alio forsitan respectu, & eo non vsque-
 4 Reg. 5.
 quaque laudabili. Solus Naaman Iordanem ingressus, à lepra mundatus fuit, quod & in Dei verbo, & Elisæi iussu flumen intrauerit; sexcenti alij quidem idem balneum subiuerant, sed, quod Propheta eodem illos nō destinasset, non fuere mundati. Illi deniq; soli pisces concludunt, qui in Dei verbo laxant retia, cæteris sortem suam deplorando dicentibus: *Nihil cepimus.*

Mali concionatores dubie sunt mali concionatores, qui, quod non zelo animarum cōuertendarum accenssi, nec gloriæ diuinæ propagandæ cupiditate flagrant, sed inanis gloriolæ auræ captandæ & auaritiæ ergo, verbum Dei prædicent: quamuis noctes & dies integros laborent, studijs incumbant, cerebrum studendo lædant; ne hilum proficiunt, neve vllana prorsus animam conuertunt. Hinc de Apostolis scriptum in eodem est Euangelio, nō modo nihil cepisse; sed quod longe deterius, retia fregisse: *Resciebant, inquit, retia.* Idem etiam accidere concionatoribus videmus, qui in cathedris clamādo se enecant, cerebrum fatigant, & labore incassum posito, neminem ad vitæ emendationem ad morum in melius commutationem excitare queunt. Quibus adapto dictum illud Prophetæ: *Ventum seminabunt, & turbinem metent;* qui molendinis vento agitari solitis eodem comparat, molere vento flante assuetis, quiescere vento quiescente. Ita quoque inanes illi prædicatores non nisi vento vanæ cuiusdam auræ & strobili populari reguntur, & quam diu ventus ille auribus illorum insufflatur, mira dicunt, & altum crepant: at vbi ille subsederit, & laudari desinunt, animo deficiunt & humi serpunt. Nō huiusmodi erat Apostolus Paulus, qui hoc se purgans nomine de se testatur: *Neq; aliquando fuimus in sermone adulationis,*

neq; occasione auaritiæ, Deus testis est; nec quarantes ab hominib; gloriam, neq; à vobis, neq; ab aliis. Non igitur mirum est, eos, qui aliter concionantur, nihil capere, & inclamare vsq; ad raucedinem, *Nihil cepimus.*

Mundani, vt & alio sensu hoc exponamus, numero horum piscatorū sunt, nihil omnino capientes. Quot eheu! fuere, qui proiectis in mundi huius profundum retibus; retibus, inquam, artificiorum, ambitionis, astus, inuentionum, desideriorū in ordinatorum, totoq; laborantes tempore, nihil omnino tota vitæ nocte ceperunt? Quos Isaias araneis similes perhibet, qui telas vt texant & casses, quibus muscas caperent, sese emedullant & necant, *Telas, inquit, araneæ texerūt;* & subiungit: *Opera eorū, opera inutilia, & cogitationes eorum cogitationes inutiles.* Si illi cosmophili, si vera illarum mancipia, Cæsares, Alexandri, Darij, alijq; Monarchæ orbis, qui multo sibi sudore diademata pararunt, parataq; nō minore retinere conati sunt, è sepulchris iā redirent; quanto gemitu, quot lachrymis, qua pœnitentia vnanimiter clamarent: *Per totam laborantes noctem, nihil cepimus.* Quorum lamenta confessionemq; Sapiens, scelestorum omnium apud inferos damnatorū, & prærabie vociferantium nomine, significat, *Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus vias difficiles.* & apud Dauidem manifestius, *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.*

Vanitatem hanc ob oculos melius positurus Ioannes Damascenus, simulque inutiles quos in mundo subire oportet labores & sudores, parabolam fingit egregiam sane & iucundam Deposcebatur quidam ad mortem, criminis commissi reus, qua se verteret nesciebat, nulla aliunde liberationis affulgebat spes, nisi forsità in amicis, qui illius apud iudicem patrocinium susciperent. Porro tres amicos habuerat, cum quorū duob. magna ei intercesserat familiaritas & necessitudo, tertium vero neglexerat, neque vsq; adeo dilexerat. In hac igitur necessitate constitutus amicorum primum adit, supplex rogat, sui ergo vt apud iudicē intercederet, ac de meliore nota commendaret; qui hoc se facturū negat, sed honoris erga ad mortem eum cō-

Psal. 9.

dis Prophetæ querimonia, *Propter quod irritavit impius Deum?* E quibus omnibus manifestum euadet, miseram & inopem piscationem illam esse, quæ in mundi huius mari instituitur, cum mundus ipse & quidquid demum in mundo haberi & videri potest, nihil sit, vbi vero nihil est, nihil quoque capi potest: adeo vt qui hic aliquid capere & piscari intendit,

Delphinum iylus appingat, fluctibus aprum.

Verum relicta hac piscatura, de piscatoribus, qui in altera orationis nos expectant parte, non nihil loquamur: audire enim mihi jam videor Dominum Petro imperantem, *Duc in altum & laxate retia vstra in capturam.*

V.

Deo piscatorum genera.

Cum enucleatius piscatores hos excutio, eorumque formam imaginando examino, duo piscatorum animas piscantium genera in mundi huius pelago reperio, vnũ bonorum, prauorum alterum. Boni quidem sunt Apostoli, concionatores, Ecclesiæ Doctores, virique Apostolici, quibus plenam piscandi Dominus auctoritatem & potestatem in Euangelio concessit, *Faciam vos fieri piscatores hominum.* Adeo vt concionatores, ipsi piscatores sunt, ipsum concionandi ministerium, piscatio: verbũ Dei, retia: pisces vero, animæ. Magnus ille piscator Petrus, piscandi peritissimus, vt qui maxime, vno retis iactu, tria hominum millia, & alio non multo post tempore quina comprehendit: *Qui ergo receperunt sermonem eius, aptissimi sunt, & appetit. sunt in die illa animæ circiter tria millia.* Et quarto deinceps capite: *Nisi auerunt eorum, & ut auerunt verbum, crediderunt, & factus est numerus eorum quinquaginta millia.*

Matt. 24.

Act. 2.

Act. 4.

Christus egregius piscator.

Psal. 68.

Torpedinis astutia, vt se in libertatem assertorem.

At piscatorum omnium supremus ac princeps Christus, quo nullus vnquã in arte peritior: ipse quippe ceteros eandem edocuit, & toties tamque assidue toto vitæ tempore piscatus est, vt tempestatibus quassatus, & huc atq; illuc per mare agiturus, tandem medijs in fluctibus expiravit. *Veni, ait apud Prophetam, in a titudinem maris & ten pestas demersit me.* Ipse quoq; pisces omnes morti eripuit, & sagena & nassa diaboli eductos, in suã pertraxit. Ferunt torpedinem, (quem piscem Ægyptij hieroglyphicis, plurimorum in libertatem assertorem, & patriæ libertatis vindicem, exprimere volentes, depingebant)

cum à piscatore se conclusum vel hamo captum cum pluribus alijs sentit, noxiũ quoddam virus per retia & funiculum recta emittere, quod vbi paulatim ascendendo ad piscatoris manus pertingat, ita eandem inuadit, vt abjectis retibus & hamo, pisces omnes effugiant, seseq; in libertatem vindicent. Idem omnino mihi Dominus videtur egisse: conatus siquidem fuerat Satan sagena sua illum vna cum ceteris hominibus includere, sed illius ope & industria omnes in libertatem asserti sumus. Ob quam liberationem gratias agens David exclamat: *Dirupsisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis.* Id est, instar piscis Domine reti diabolico inclusus tenebar, ipse mei miserus, captiuitatis meæ vincula dirupisti, inq; libertatem me asseruisti; quo tibi nomine immensas agere gratias teneor, inque grati animi signum, toto vitæ meæ tempore laudis tibi sacrificium immolabo.

Mali autẽ & imperiti piscatores sunt, pseudoprophetæ, hæretici, ministri, qui incautas animas nouarum sectarum retibus includunt, & hæresum hamo attrahunt: ficta quadam libertate & fucata reformatione nequitiam ac versutiam suam palliantes. Sunt quippe infauti illi piscatores, quos Dominus olim iudicauit, & vniuerso deinde mundo in flagellum se missurum prænuuntiauit: *Ecco ego mittam piscatores multos, dicit Dominus, & piscabuntur eos.* Sunt piscatores illi in turbida Euripi, huius inquam, mundi aqua semper piscantes, sub archipiscatore satana, in cuius calle peccatrices animæ mei ceciderunt, (vt quidem Prophetæ vaticinatus est: *Cadent in resinaculo eius peccatores*) subalternatim constituti.

Horum scelestorum piscatorum de numero fuit Arrio Diaconus Alexandrinus, aduersus quem I. Concilium Nicenum 318 Episcoporum fuit coactum: cuius verriculum totus propemodum subiuuit orbis, nam referente Hieronymo, *Totus orbis terrarum in genuit, & se Arriacum esse miratus est.* retiaq; eius ductentis & amplius etiam post obitum annis extensa permansere per vniuersum Orientem, & intimos maris Africani sinus. Macedonius violenter in Constantinopolitanam cathedram sese ingerens, alius etiam piscator fuit, Arrio non inferior. Idque circa annum

Psal. 115.

Hæretici mali piscatores.

Jerem. 6.

Psal. 118.

Dialog. contra Luciferian.

Hist. Tripart. lib. 4. cap. 8.

Domini 388. ille *nostris* auctor & copyphæus: mordicus defendens, Spiritum Sanctum non nisi puram creaturam esse: infinitam ille hominum multitudinem in hæreses nassam pertraxit, pluresque haud dubie pertraxisset, nisi concilium Constantinopolitanum cursum retardasset, & nefaria eius molimina retudisset. Alius quoque pestilens piscator Pelagius circa annum Domini 400. (qui peccato Adami proscripto, infantes jam inde ab utero matris innocuos esse, & ab omni peccato immunes asserens, naturæque potentiam & vires nimium quantum deprecans & extollens remissionem peccatorum ei adscribere non dubitavit) copiosum animarum numerum retibus inclusit, donec tandem Augustinus & Hieronymus, eius retibus diffractis & conuulsis, eum à piscado abstinere coegerunt, & mari interdixerunt. Eiusdem quoque farinae fuit Nestorius, etiam Episcopus Constantinopolitanus, sed honoris stientillimus & superbia turgidus, ut qui maxime asserere præsumens, Virginem Mariam Dei matrem non esse dicendam, simul etiam Iudæos Deum cruci non affixisse: plurimos blasphemo hoc hamo attraxit, plures haud dubie piscaturus, si Oecumenicum Concilium Ephesi indictum cui Cyrillus Alexandrinus summa cum autoritate præfedit, anno 437. coactum conatus eius non recidisset.

Aug lib. de nat. & grat. Hier. tom. 3. par. 114.

Epiph. lib. 2. tom 2. Aug lib contra Faust.

Subdolos quoque ac versutus piscator fuit Manes Manicheorum omnium Princeps natione Persa; cuius cum errores per vniuersam Arabiam, Ægyptum & Africam ducentorum annorum spacio, cancri instar serpsissent, plurimos sagena conclusit, atque inter cæteros, Faustum, Felicem, Fortunatum, Ademantum, Augustinum: quorum postremus nouem ipsos annos detentus fuit, sed tandem ad veritatem Euangelicam, Dei miserante gratia, perductus crudele ijs bellum indixit: neue tantus eorum prius propugnator fuit, quantus deinde oppugnator. Lutherus denique, Zuinglius, Melanthon, Oecolampadius, Calvinus, & alij plurimi, pessimi quoque & virulenti piscatores fuere, qui innumerabiles animas tam per Galliam, quam per Angliam & Germaniam & vniuersas pro-

pemodum Europæ Prouincias, circumuenerunt, dixi circumuenerunt; quod hæreticorum quidem est animas fallere & irretire, non vero capere & piscari: extra Ecclesiam quippe retia non laxantur in capturam, sed solum in deceptionem & direptionem. Lutherus, Calvinus, Beza, alijque plurimi, retia quidem eiecerunt, sed ut animas perderent, fallerent, irretirent, non vero piscarentur. Solum Petro eiusque successoribus Dominus dixit: *Laxate retia vestra in capturam*. Sola enim Petri sagena animæ capiuntur, extra illam mera perditio, circumuentio, & impostura. Deinde Dominus non modo ei piscandi, animasque capiendi potestatem tradidit & auctoritatem, sed plenam vbiq; etiam in alto mari, piscandi licentiam. Audiamus auctoritatis patentes & diplomata, *Duc in altum*.

Quam alte, quam sublime nos *altum* hoc euehet, & præclaros ac luculentos conceptus suggeret; dicendum est igitur, *altum* hoc loco profundum denotare, ut & illo Ioannis loco, *utrum altum est*, id est, profundus; & alio Psalmorum: *Veni in altitudinem maris*, & *tempestas demersit me*: quibus locis altitudo profunditate accipienda est, & juxta hunc sensum solus Petrus cymbam ingenij *altum* mysteriorum profunditatemque rerum diuinarum duxit, tunc præsertim, quando Oceanum diuinitatis Iesu Christi ingressus, audacter ait: *Tu es Christus Dei viuis*: perinde ac si dixisset: *Vulgus in littore tantummodo cognitionis meritum tuorum ambulans credit te Eliam, aut Ieremiam, aut vnum è Prophetis: at ipse in altum ducto nauigio, atque intimas mysteriorum abyssos penetrans, libere confiteor & sincere credo, diuinitatis te aliquid habere, imo Dei viuentis vnigenitum esse.*

Deinde *duc in altum*, tantumdem valet, ac si dixisset: *Non in solo stagno Genesareth, aut in angustiis Iudææ finibus cymba, cuius te nauarchum & rectorem constitui, heretate sed vltterius velificetur necesse est, altum gentilitatis & paganismi penetrer: Ecclesiæ nauigium non exiguis maris Tiberiadis terminis inclusum maneat, sed vniuersum nauiget Oceanum, & polum vtrumq; in limitem & ter-*

VI.

Ioan. 4. Psal. 68.

Varij sensus verborum, Duc in altum.

1.

2.

& terminum habeat. Ita porro hoc exposuit Augustinus libro 2. quæst. Euangelicarum quæst. 2. Gregorius Moralium lib. 17. cap. 2. & Beda commen. c. 5. Verba Augustini producam, *Quod dixit Petro, duc in altum, & laxate vela vestra in capturam: ad remotiores gentes, quibus postea prædicatum est, perinet: sicut Isaias dicit, Tolle signum in gentes, ad eas quæ prope, & ad eas quæ longe.*

Ecce & tertium sensum, *Duc in altum*: veteris synagogæ Pontifex non nisi extremitates & limites superficiales mysteriorum vidit, at tu summus & supremus Ecclesiæ Pontifex eorum profunditatem, altitudinem, abyssosq; inspicias necesse est. Duc igitur in altum cymbam naucleræ fidelium, Synagoga non nisi umbras & figuras vidit, at Ecclesiam rem ipsam, corpus & rei veritatem videre oportet. Lex Mosæica humilis fuit & imperfecta: at Euangelica altius ascendit, & omnib. erit numeris absoluta. In quam rem sexcentas proferre figuras poterimus.

Vidit Daniel Propheta Angelum, idque in veteri testamento, lata zona, eaq; aurea circumcarens accinctum: Ioānes vero in nouo eundem vidit, sed cingulum ad mamillas habentem, atq; hunc utrobq; Iesu Christi figuram fuisse certum est. At cur putatis eum illic ad lumbos, hic vero ad mamillas cinctū? Quæstioni propositæ satisfaciens Richardus de S. Victore, hoc cingendi discrimine Euangelij perfectionem ait designatam. Eum loquentem audiamus: *In veteri testamento visus est Angelus Propheeta cinctus reni us, quia ibi carnis opera expressis prohibebantur: in nouo autem Ioanni visus est practinctus ad mamillas, quia nunc vel ipsa cogitatione, illicita manifeste refranantur. Et clarius adhuc, doctus ille Pannonius. Apud Daniēlem, inquit, practinctus ad renes apparet, quia scriptura veteris testamenti ipsam opus l. xuria arceat, nouum autem testamentum ipsas cogitationes: teste Christo in Euangelio, Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Ab operibus porro ad cogitationum edomationem peruenire an non in altum est cymbam ducere, & Euangelicam perfectionem adornare? Merito igitur Ecclesiæ nauclero dicere potuit, *Duc in altum.**

Magnum illud Ecclesiæ columen Grego-

rius, visionem Ezechielis, quæ hominem albis indutum, & funiculo templi magnitudinem latitudinemque dimetientem vidit (funiculo inquam lineo, de quo Propheta ait, *funiculus lineus in manu eius*) tropologicè exponens ait, *Cinstra veteris legis funiculus fuit: sed lineus non fuit, quia rudem populum non subtili prædicatione coercuit, in quo per poenitentiam non peccata cogitationis, sed operis rescavit: at Christus funiculum lineum in manu sua tenuit, cum dixit Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquus, Non mœchaberis: ego autem dico vobis, quia qui viderit mulierem, &c. Dicere vult. Olim opera vetuit lex, at modo etiam cogitationes rescindere Euangelium iubet: hoc sc. est in altum ducere, illa perfectio legis Euangelicæ: illuc ducenda nauis, illuc cursus dirigendus.*

Duc in altum, Origenes, qui anno Domini 189. in Ecclesia viguit, & sacras literas deinde Alexandria magna cum laude edocuit, ac postea decimo Seueri Imperat. anno pro Euangelio mortem obiit, anno Domini 206. hic inquam Origenes id ipsum & alia ratione designatum voluit, quod nimirum Moyses, verum legis veteris exemplum, faciem haberet rutilantem, sed manus lepra cooperatas: Christus vero in sacra transfigurationis suæ die habuerit & faciem & manus splendentes. Quod nimirum opera, quorum manus figura, in lege veteri penitus imperfecta esset: at in lege gratiæ splendida, rutilantia, & summa perfectione dotata: atq; hinc Paulus in Epist. ad Galatas, Hebræos, antiquæ legis jugo pressos & melioris nescios, pueros appellat: Christianos vero sub lege Euangelica constitutos viros perfectos, & varijs bonis locupletatos. Hoc scilicet altum est, in quod Petri cymbæ vela & manus diriguntur, quando ei dicitur, *Duc in altum.*

Et profecto ipsa lex vetus, lex horrois & terroris fuit: noua vero & Euangelica, amoris & fauoris. Idcirco etiam Deus in lege Moysis, mucronem & cultrum, circumcissionis inquam, aliosq; quo sæpius in populum suum sauebat, manu prætulit: at in noua, lege inquam gratiæ, stellas: quomodo eum Ioannes in Apocalypsi vidit, *Et habebat in dextra sua stellas septem. Mucro iustitiæ, stella misericordie*

Greg. hom. 13. in Ezech.

Hom. 12. in

Exod.

Exod. 34.

Exod. 3.

Comparatio legis veteris cum noua.

Gal. 3.

Lex vetus terribilis.

diæ symbolum est. Legis Mosaicæ in signe fuit, ensis, vt rigore & supplicia delinquentibus intenda demonstraret: lex Christi stellas in symbolum sumpsit, quo amorem influxumq; cœlestium dulcedinem designaret. Atq; omnibus his illius dignitas & perfectio denotatur, quo etiam cymba hæc cursum suum dirigere iubetur, *duc in altum*.

Doctus ille Arnobius legis vtriusq; mentione facta duobus illis luminaribus, quæ in ipso rerum primordio Deus in firmamento statuit, quæq; scite Psalter describit dicens, *Fecit duo luminaria magna, luminare maius, & luminare minus: solem in potestatem diei, lunam & stellas in potestatem noctis: vtramq; comparauit. Vnde ait: Fecit, inquit, luminaria duo magna, vnum in die noui testamenti, quod sicut sol radiat in lumine agentibus, aliud in n. Et Iudæica conuersantibus. Huc respexit Psalmista cum in Euangelij laudem ait, *in sole posuit tabernaculum suum*. Atque hæc forsitan est ratio, cur Christus in Apocalypsi visus sit facië habuisse instar solis rutilantem, Moyses vero instar Lunę cornutam, quo & illius perfectio & huius defectus significetur. Atq; huc Petri cymba tendit, cui dicitur, *Duc in altum*.*

Lex deniq; antiqua graue onus, & iugum intolerabile fuit, cui ferendo vix sufficiant humeri. Hinc Apostoli in generali concilio Ierosolymis coacto dicunt, *Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil imponere vobis ultra oneris quam hæc necessaria*. Quin & D. Thomas in Commentarijs suis in Matthæum ait verba hæc. *Venite omnes, qui laboratis & onerati estis, de Iudæis potissimum legis iugo grauatis intelligenda. Atque ante illum etiam Apostolus ideo legem, iugum seruitutis nuncupare non dubitauit, state, inquit, & nolite iterum iugo seruitutis contineri*. Næ illa iugum fuit & onus propter præceptorum ad quæ astringebantur Iudæi, multitudinem, quæ teste Lirano & Abulensi, ad sexcenta extendebantur, vix ferendum. At lex Euangelica & gratiæ fasciculus leuissimus est, non grauare solitus eos, qui in humeros eum accepere, si quidem Christus de eodem testatur, *Iugum enim meum leue, & onus meum leue*. Horum omnium egregiam in libr. i. Paralipomenon figuram contemplet. Leuitæ namque, dum arcam te-

stamenti ex ædibus Obededom in locum à Dauide Rege in Ierosolyma destinatum deferrent, à Domino mirabili quadam ratione adiuti sunt: dicitur enim, *Cumque adiuuisset Deus Leuitas, qui portabant arcam foederis Domini, immobilabantur septem tauri & septem arietes*. Quo loco Rabbini Hebræorum testantur, vt eos producit Liranus, Arcam seipsam sustulisse diuinitus, nullumque onus Leuitis portare visis incubuisse, atque ideo in tanti beneficij agnitionem gratiarumq; actionem, victimas illas obrulisse. Hic scilicet lex Euangelica fuit designata, quæ nullum in se continet onus, & vix grauatur eos, qui eidem se submisere: ipse namq; Deus, vt ita dicam, ijs succollat, cooperatur, coadiuuat, gratias quasdam singulares impertitur: atque in eo præsertim eminentia, dignitas, perfectio, & maiestas Euangelicæ legis continetur, quæ cuncta Dominus hoc exiguo mandato comprehendit, *Duc in altum*.

O altum vere admirabile & vere altum! nondum ego te ingenij mei bolidè potui attingere, altius adhuc vrinandum est, & noui conceptus producendi, antequam ad altitudinem tuam & summitatem pertingamus: *Duc in altum*, id est, ad plenitudinem legis accede. Dominus igitur Petro imperans vtrin altum duceret, tropologice dixisse visus est, se illi dare potestatem in plenitudinem legis ingrediendi, & venisse tempus quo non iam ceremoniarum & figurarum littora radenda essent, sed in alto legis oceano euagandum, tempus inquam, quo vmbra omnes essent complenda: quoniam lex antiqua vacua erat & inanis, altitudo vero & soliditas profunda, legi Euangelicæ referuata. Quod Paulus Epistola ad Galatas obiter attingens ait, *At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum: quasi diceret, omne quod Christi aduentum præcellerat tempus, inutile fuisse ac vacuum*.

Erat haud dubie lex Mosaicæ inanis ac inefficax, & gratiæ cõferendæ inutilis, ex opere operato, atq; hæc forsitan ratio est cur Paulus legales ceremonias, *infirmas & egenas elementa* vocauit. In cuius rei figuram voluit olim Deus, vt holocaustum altare inane foret ac vacuū, non vero solidum: vt in Exodo legere

Psal. 135.

Lex antiqua & noua comparata duob. mundi luminaribus.

Psal. 18.

Apo. 1.

Exod. 34.

Act. 15.

Matth. 11.

Gal. 5.

Lex vetus grauis.

Matth. 11.

1. Par. 5.

Nota loci huius expositio.

Lex vetus inanis. Exod. 17. & 18.

legere est. *Nec solidum sed inane & vacuum intrinsecus facit illud*: quod sacrificia legalia, atque adeo vniuersa lex inanis esset, nihilque solidi contineret: hinc Ionæ denotata fuit per cucurbitam, quæ intrinsecus inanis est ac vacua: quo enim loco vulgata legimus, *Preparauit Dominus Deus hedera n.*, Septuaginta interpretati sunt, *Precepit Dominus cucurbita*, hanc potro legis veteris typum & figuram fuisse testatur Hieronymus simul & Augustinus: ideo quoque Dominum in Euangelio dixisse auguror, *Matth. Non veni legem soluere sed adimplere* quo loco adimplere loco perficere accipiendum est, vt bene notauit B. Cyrillus Alexandrinus & cum illo Hieronymus, vt verbis illis Apostoli Roman. 10. *Perfero leges Christus*, persuasi. Vrgitur pauci omnia complectar, cum prætentum non nisi mere vacuum fuerit, solidum vero & plenitudo legi Euangelicæ reseruata sunt; merito S. Petro in cuius humeros vniuersa moles & rerum pondus coniectum erat, à Domino præcipitur, vt relictis figuris & vacuo, ad altum, plenitudinem & legis perfectionem pertingere.

Duc in altum, Nouum quid ac longe sublimius occurrit, *Duc in altum*, id est, Penetra in posterum mysteria fidei, scripturas interpretare, religionis Christianæ adyta reuela, euidenter & luce meridiana clarius, quæ lex vetus, quo ad diuina ac sacrosancta mysteria tam obscure, ænigmatice & inuoluate proposuit, expone. Vidisse se Angelum Ioannes tradit, qui stentoream edebat vocem, & postquam clamare desisset, septem tonitrua vocem dedisse, *Et cum clamasset, locuta sunt septem tonitrua voces suas*. Quo loco Rupertus verba illa, *locuta sunt*, penitus ponderans notauit, post Angeli vociferationem tonitrua vocem quamdam dedisse: eo quod ante Messia aduentum Prophetæ quidem de fidei mysterijs loquebantur, verum adeo tenebrose & intricate, vt sine vilo sensu, verborum ordine, artificioque ad intelligendum composito, eadem proposuerint: vt non verba ab homine prolata, sed tonitrua boantia viderentur, at post Iesu Christi aduentum, tam lucide & liquide fidei mysteria & arca na Apostoli exposuerunt, vt non tonitruum,

Tom. 2. Pars Æstiuæ.

sed hominum instar locuti videantur. In huius rei significatione legem Moylis in monte Sinai cum tonitruum boatu & densa caligine latam credo: Moysem quoque legis antiquæ symbolum, balbutisse at in nouo testamento Spiritum S. in linguarum forma super Apostolos descendisse, vt ipsi eadem fidei mysteria, quæ adeo obscure, in lege antiqua promulgata erant, quæq; Moyles balbutiendo aperuerat: euidenter voce liquida, ac lingua soluta proloquerentur.

Quod exemplo faciam manifestius. Ieremias, profundissimum & inuolutissimum SS. Trinitatis mysterium aperturus, se mutum confiteretur, ac lingua destitutum, *â, â, â, Dominus Deus nescio loqui, quia puer ego sum*. Tertio *â* repetit (quod incondita & imperfecta vox infantis ac potius stridulus quidam accensus) trinas in SS. Trinitate personas vt denotaret: at Apostoli de eadem distincte, clare, perspicue, ac sine vilo vocis impedimento locuti sunt. *Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* Ecce egregium Isaïæ conceptum præceperat huic Deus, vt magnum in manus volumen sumeret, quo sumpto ait, *Et scribe in eo stylo hominis, & characteribus grandiusculis, vt ab omnibus mortalibus commode legi queant*: quo aliud non credo designatum, quam mysteria, quæ tot annorum millibus sub tot visionum ænigmatibus, inuolutis, figuris sensibus obscurioribus vt nec doctissimi quique intelligere illa potuerint, inuoluta fuerant: Iesu Christo cuius aduentus iam promissus erat, in mundum veniente tam liquide & euidenter elucidanda, vt & stupidissimi quique & obtusissimi eadem sint percepturi. Hodie huiusce rei initium cernere est. *Duc in altum*.

Deniq; pro vltima horum verborum expositione, aio *Duc in altum*, aliud non esse, quam *Duc in maiorem diuinorum mysteriorum cognitionem*. Maior siquidem & perspicacior in lege noua mysteriorum est intelligentia, quam olim in lege Mosaica: figura sint mystica illa animalia, quæ Ezechielii olim demonstrata fuere, quæ non nisi quatuor habebant alas, sed eadē Ioanni deinde in Apocalypsi demonstrata, senas habuisse alas visa sūt: quo mystice, gemina in posteriori visio-

P

nc fin-

Exod. 19.

Exod. 4.

Cur Moy-
ses blasus.

Ierem. 1.

Esai. 8.

Egregia lō-
ci huius in-
terpretatio.

Ezech. 1.

Apo. 4.

ne singulis ala adiuncta, maior & amplior re-
rum diuinarum cognitio, cuius ala symbolo-
rum, noui Testamenti Patribus communi-
canda designatur. Hinc Psalmista cecinit. *Et
noxi sicut dies illuminabitur.* Id est, in lege gra-
tiae iam aperte mysteria patebunt, vt in eri-
diano in claritate non sit vel minimum con-
cessurum Euangelij, eiusq; respectu lux scri-
pta non nisi mera tenebrae, caligo, nox, nebu-
lae futura. Et sane Rabini omnes & scribae at-
que vniuersi legis Doctores & interpretes, non
nisi idiotae, bardi, insens & a sani fuerunt cum A-
postolis comparati: nec etiam mirandum est,
si doctiores, si peritioresq; existerent, cum a
Deo ipso edocti sint, eiusque in ludo laurea
Doctoratus insigniti. Testabitur hoc vnus
illorum Paulus, *Multifariam, multisq; modis
olim Deus loquens Patribus in Prophetis, nonissi-
me diebus istis locutus est nobis in filiis.* Quis au-
tem adeo obrusa mentis, adeo stupidus ac
vecors sit, qui sub illo Doctore & magistro
difficillima & abstrusissima quaeq; non intelli-
gat, & ad medullam vsq; mysterij non pene-
tet? Atque hoc erit illud, *Duc in altum.*

Ceterum Apostolus Petrus & reliqui tam
profunde diuina arcana mysteriaq; ingressi
sunt, & tam in altum cymbam duxerunt, vt
in sacris litteris caeli Deiq; discipuli nuncu-
pentur: in Maria enim, qui ad litteram de Ec-
clesia sermonem instituit, *Ecce, inquit Domi-
nus, sternam per ordinem lapides tuos, & funda-
bo te in sapphires: & ponam iasum in propugnacu-
la tua, & purpuram tuam in lapide sculpto, vniuersos
tuos doctos a Domino.* Septuaginta conuertere,
*didaxerunt, & scilicet, id est, discipulos Domini, verum
discipulos tanta scientia mysteriorumq; no-
ritia insignitos, vt & Angeli deinde multa ab
isdem hauserint, eorumq; discipulos se pro-
ficere non dubitarent, multa ab illis, quae ne-
fando quidem audierant, discendo. Hoc
Paulus asserit, gloriaturque se non Angelos
modo & Archangelos, sed Principatus & Po-
testates caelestes edocuisse: *Mihi, inquit, o-
mnium sanctorum minimo, data est gratia haec in
gentibus euangelizare, inuestigabiles diuinitas Chri-
sti, & illuminare omnes quae est dispensatio Sacra-
menti absconditi a oculis in Deo, qui omnia crea-
uit, vt innotescat Principatibus & Potestatibus
caelestibus per Ecclesiam multiformis sapientia**

Dei. In quae verba commentatus Angelicus
Doctor Thomas, obiter ait, *Non videtur ergo
irrationabile, quod doceant Angelos Apostoli,
qui immediate a Deo, vni edocti.* Haec aliaque
Christus praeficiens & animo voluens, &
quasi tangere non nihil vellet, Petro ait, *Duc
in altum.* Perinde ac si dicere voluisset, sum-
mi in veteri lege Pontificis, Petre, scientia si-
cum illa, quam tibi dabo, conferatur, nulla
est & futilis: ages quippe ingenij tui cym-
bam tam profunde & ita alte in scientia &
intelligentia Oceano, vt & Angelos edoctu-
rus sis. At plura fortasse quam par erat, iam
dixi, alias alia, & *altum* hoc nimis cymbam
concionis abripuit, iam portum verius velsi-
ficemur, & finem piscationi imponentes lit-
tus petamus.

Finem itaq; faciamus, Auditores, & Apo-
stolicae huius piscationis occasione proposi-
ta documenta repetamus: cogitemus, in qua
mundum hunc mare esse & oceanum tempe-
statibus agitari solitum: nos vero pisces:
piscatores, diabolos. Notemus quoq; in sa-
gena Petri & non alia pisces hos concludi: in
sola siquidem Ecclesia salus reperitur, & ani-
marum piscatio instituitur, extra illam vero
omnis captura, quae e myoparonibus, & praed-
atorijs haereticorum nauigijs fit, mera per-
ditio, ruina, exitium & impostura. Perpen-
damus eadem opera, quomodo Apostoli,
postquam integra nocte laborassent, nihil
ceperint, sed die adueniente & Deo auxiliante,
concluserint piscium multitudinem copio-
sam, quo edocemur, fieri non posse, quidquam
vt capiamus, non gratia, indulgentiam, me-
rita, non deniq; vllam pro opere pio mercedem,
quandiu in nocte peccati versamur. Simul hocce miraculum exequiamus, vt ni-
mirum solo iussu tot comprehensi fuerint pi-
sces, vt duo repleta sint nauigia. Memineri-
mus deniq; Apostolos in Dei nomine retia-
laxantes, felicem piscationem instituisse: di-
scamusque quo faustum negotia nostra exitum
sortiantur & optatum, a Deo semper
esse inchoanda. *Ab lone principium.*

Ita porro fieri, a quomest & consentaneu-
rationi, Deus aeternae, & omnes ad ipsum
hauri dubie Christiani tenentur: siquidem
omnium reru habenas manu libras, & prou-
libitum

Psal. 8.

Hebr. 1.

Hebr. 5.

Ephes. 3.

*In epist. ad
Ephes.*

Conclusio.